



~~11-58~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. clōloCCCXIII.

I. N. J.


ABRAHAM CALOVIUS,

SS. THEOL. P. PRIMARIUS,
PASTOR, CONSISTORII ADSESSOR
SENIOR, ET SUPERINTEND. GENERALIS,
p. t. FACULTATIS THEOLOGICÆ
DECANUS,

L. B.

SALUTEM PL. PRECATUR
IN JESU REDIVIVO, PASTORE
ANIMARUM NOSTRARUM
GRATIOSISSMO,

ANNO G. N. cl^o l^oc XXCI.



WITTENBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.







I. N. J.

IΩ ΕΙΜΙ Ο ΠΟΙΜΗΝ Ο ΚΑΛΟΣ.
EGO SUM ILLE PASTOR, ILLE BO-
NUS. Ita professus sese coràm Pharisæis
est JESUS, postquàm de cœco nato in
Sabbato visu donato rationem reddidis-
set, eosq; cœcos ac spiritualium oculo-
rum luce privatos testatus esset, quòd
ideò ipsum prophanati Sabbati arguerent, Johann. IX. 16.
*Non est hic homo, inqvientes, à DEO, qui Sabbatum non cu-
stodit. Ex vero quidem illustris Julius Cæsar Scaliger arti-
culum dixit loqvacissima gentis flabellum, docetq; Bu-
daus, Græcorum doctissimus, Atticorum hoc esse, τὰ ἀρεθῶν
πλεονάζειν καὶ περισσὰ πέναι: sed hîc magna cum Emphasi
bis positus est: Ego sum ILLE Pastor, à Prophetis plus vi-
ce simplici prædictus, bonus scilicet ILLE Pastor, qui in
mundum hunc venire debuit, ut vitam habeant, & abun-
dantius habeant, Joh. X, II. Ego sum ille Pastor, de quo in Idyl-
lio suo cecinit David, Psalmo scil. XXIII, 1. nihil mihi deerit,
(penes hunc Pastorem meum) in loco pascuæ meæ collocavit,
super aquam refectionis educavit me, animam meam
convertit. (Nam etsi ambulavero in medio um-*

bra mortis (in medio vite umbra hujus, quæ mortis est:) non timebo mala, quoniam tu mecum es. (non timebo mala, quoniam tu habitas in corde meo per fidem: Et nunc mecum es, ut post umbram mortis etiam ego sim tecum.) Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. (Disciplina tua tanquam virga ad gregem ovium, Et tanquam baculus jam ad grandiores filios, Et ab animali vita ad spiritualem crescentes, ipsa me non afflixerunt magis, quam consolata sunt: quia memor es mei) uti habet paraphrasis S. Augustin. in Enarr. Ps. T. IIX. p. 115. JESUS est Pastor ille bonus, de quo Esaias c. XL. II. vaticinatus est: Sicut Pastor gregem suum pascit in brachio suo congregabit agnos, Et in sinu levabit, foetus ipse portabit: Cujus magnitudinem, observante S. Hieronymo, Propheta statim describit, ut quemnam Pastorem designet, manifestum evadat, utpote eum, qui universa condidit, Et creator est omnium. Quo de prolixè concionatus est Ezechiel, & quidem per antithesin ad Pastores non bonos, c. XXXIV. 2. seqq. geminos Phariseis, hoc elogio à DEO notatos: Quod infirmum fuit, non consolidastis, Et quod agrotum, non sanastis: quod confractum est, non alligastis, Et quod abjectum est, non reduxistis, Et quod perierat, non quaesistis. Quibus proinde JESUS, tanquam Pastor ille verè bonus ad oves suas venturus opponitur v. 12. Hæc dicit Dominus DEUS: Ecce Ego ipse super Pastores requiram oves meas, Et visitabo eas. Et porro v. 14. 15. 16. In pascuis uberrimis pascam eas, Et in montibus excelsis

celsis Israëlerunt pascua earum, ibi requiescent in herbis vi-
ventibus, & in pascuis pingvibus pascentur super montes
Israël. Ego pascam oves meas, & ego eas accubare faciam,
dicit Dominus DEUS. Quod perierat, requiram, & quod
abjectum erat, reducam, & quod confractum fuerat, alligabo,
& quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingve
& forte, custodiam: & pascam illas in iudicio. Luculen-
tius adhuc Dominus promisit hunc Pastorem bonum gregi
suo v. 23. 24. Et suscitabo illis Pastorem unum, qui pascat eos,
servum meum David, (hoc est, Davidis nepotem, Conf.
Jer. XXX. 9. Hos. III. 5.) Ipse pascet, & ipse erit eis in Pasto-
rem. Ego autem Dominus ero eis in DEUM; & servus meus
David (nepos Davidis) Princeps in medio eorum. Adde
& promissionem Ezechiel. XXXVII. 24. seqq. factam: Et
servus meus David Rex super eos, & Pastor unus erit omnium
eorum: in iudiciis meis ambulabunt, & mandata mea cu-
stodient, & facient ea. Et habitabunt super terram, quam
dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt Patres vestri: &
habitabunt super eam ipsi, & filii eorum, & filii filiorum eo-
rum, usq; in sempiternum: & David servus meus Prin-
ceps eorum in perpetuum. Et percutiam illis fœdus pacis, pa-
ctum sempiternum erit eis: & fundabo eos, & multiplica-
bo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpe-
tuum. Et erit tabernaculum meum in eis: & ero eis DEUS,
& ipsi erunt mihi populus. Et scient gentes, quia ego Dõ-
minus sanctificator Israël, cum fuerit sanctificatio mea in
medio eorum in perpetuum. E quo loco XII. argumenta
produximus in Bibliis Illustrat. demonstrantia hæc de Chri-
sto prædicta esse. Sed luculentissime omnium Zacharias
cap. XIII. 7. seqq. (interprete ipso met Christo Matth. XXVI.

v. 31. Marc. XIV. 27. Prophetā illo magno *διωατῶ ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ ἐναντίον ὧ Θεῶ, καὶ παντὸς ὧ λαῶ.* Deuteron. XII. v. 15. 18. Luc. XXIV. 19.) de hoc Pastore vaticinatus est, quod oraculum non *Judam Maccabæum, Pastorem à Bacchide percussum, neq; Jude exercitum fugitivum, oves dispersas, indicare,* uti insanit Hugo Grotius, sed de Christo Pastore bono *ῥητῶς agere, è temporis circumstantia, ex antecedentium, συνέχεια, è Pastoris Domini ἀνονομαστικῆ denominatione, è Pastoris insuper hujus cum superiori collatione, è prioris descriptionis collatione cap. XI. 6. è Pastoris hujus ᾤ. Φράσει,* quem Eundem vocat DEUS *גבר אמתו* *virum proximum meum,* qui nullus alius est, quàm *imago DEI invisibilis, character hypostaseos Patris, ὧ splendor gloriæ ejus, Colofs. I. 15. Ebr. I. 13. & in primis ex indubitata ὧ infallibili Christi interpretatione, nec non ex addita de Ecclesia Novi Testamenti promissione, in Bibl. Illustr. Tom. II. pag. 1019. seqq. demonstravimus. Quibus addere licebit Biblicam nostram explanationem Germanicam Biblico-Lutheranam, jam sub prælo ferventem, super hunc locum: Adde & promissionem Ezechiel. XXXVII. 24. factam, ibidem expositam.*

Sed de his uberius, nec non exquisitiùs disferet is, cujus gratiâ hæc produximus, Candidatus nempe Facultatis nostræ longè præclarissimus: *VIR, inquam, Maximè Reverendus, Amplissimus, Excellentissimus, DN. SAMUEL BENEDICTUS CARPZOVIVS, D. JOH. BENED. CARPZOVII, Theol. summi, jam pridē in cœlesti Ecclesiâ triumphantis, (qui verè CARPZOVIVS in filiis quatuor magni nominis fuit,) Lipsiæ procreatus Filius, Ecclesiastes hæctenùs Electoralis Aulicus, jam verò Pastor, ὧ Superintendens Dresdensis Dioeceseos, nec non Proto-Synedrii Ecclesiastici Adfessor, ὧ Consiliarius Electoralis, multum dignis-*

MIUS



mus, Dominus, Fautor, Affinis, Compater, & Frater meus in Christo conjunctissimus, plurimumq; honorandus. Cui nunc primùm de eminentissimo atqve arduo hoc munere publicitùs gratulor; Dominum JESUM adorans, ut quem cœlitùs ad id vocavit, eidem vires addat sufficientes, & virtute ex alto ipsum instruat, ut ad Nominis sui divini gloriam, Ecclesiæ ædificationem, proprium deniqve decus, & emolumentum, diu eodem fungatur.

*Quem dum sistimus in publico, non opus existimo multo verborum apparatu. Notissimus enim Academia universæ CARPZOVIUS est, qui non solùm hîc Professione Poëseos insigni cum fructu defunctus per aliquot annos est, sed etiam studia Theologica Collegiis variis promotum ivit egregiè, & cum magno Auditorum emolumento: Non cum vilipendio Statutorum Facultatis, non cum ἀτιμία Theologorum optimè meritorum, nō ex mera ἀιχρονεσθία, & cum emunctione Studiosorum, quæ non promotionem ulteriorem, non benedictionem cœlestem, imò maledictionem divinam, testibus exemplis, conciliant: Sed juxta tenorem legum, cum reverentia Præceptorum, ex Studio ædificandæ juventutis DEO consecratæ, & cum largo successu, atq; exaltatione cœlesti, jam in luce publica fulgēte: quin & præclaro scripto Theologico contra Jacobum Masenium, celebrem Jesuitam, at Syncretistam vaferrimum, *Examine novæ praxeos orthodoxam fidem sacram, & Augusti discernendi & amplexandi propositæ: Scripturam imprimis num ab ipsius detorsionibus vindicante, & protestantium pariter ac Pontificiorum dogmata ad lancem veritatis expendente. Anno 1677. edito* Quod utpotè accuratum neqve ille Masenius, neq; Societatis ipsius ullus unquam refutavit, aut refutare solidè poterit. Vocatus autem ad Concionatoris Ecclesiæ stici Electoralis aulici officium à *Serenissimo**

&

*Et Potentissimo Dno. Dno. JOHANNE GEORGIO II. Duce
Saxonia, Julia, Clivia & Montium, S. R. J. Electore, Et Ar-
chi-Mareschallo, Marchione Misnia, Et utriusq; Lusatia, Land-
gravio Thuringia, Burggravio Magdeburgensi, Comite Ra-
venspurgensi, Et Dno. in Ravenstein & c. gloriosissima memo-
ria, Principe quondam Religiosissimo, aulicam Ecclesiam magno
fidei ac pietatis foenore locupletavit: unde pra aliis digno
omnino judicatus est, qui ad vacantem Pastorum in templo
Crucis, ab Amplissimo Senatu DRESDENSI vocaretur, ab
Illustri Proto-Synedrio etiam ad Adfessoratum Consistorii ibi-
dem & Consilii Ecclesiastici dignitatem designaretur: a Serenis-
simo vero Et Potentissimo Principe, Dno. Dno. JOHANNE
GEORGIO III. Duce Saxonia, Julia, Clivia, & Montium,
S. R. I. Electore, Et Archi-Mareschallo, Marchione Misnia, Et
superioris atq; inferioris Lusatia, Landgravio Thuringia,
Burggravio Magdeburgensi, Comite Principali Hennebergico,
Comite item Ravenspurgensi Et in Barby, Domino in Ravenstein,
Domino Et Nutritio nostro Clementissimo, confirmaretur.
Ad quod amplissimum munus obeundum cum Doctorali
laurea opus haberet, eamque a Collegio nostro expeteret,
prompte eundem ad *ἀσκήματα* consuetam admisimus. Ad quae
quia initium ad diem Jovis proximum hor. IX. oratione
auspicali solenni facturum est, Magnif. Dn. Rectorem, Generosos
Academiae Patronos, Prof. Et Doctores omnium Facultatum
Excell., Reverendos verbi Ministros, Adjunctos etiam Ampliss.
Philosophici Collegii, Civis denique Academiae universos, ut
frequentia illustri adesse velint, observanter, & amicè invi-
tamus. DEUS sancto instituto benedicat, idq; saluberrimum
Academiae Nostrae, & Ecclesiae suae universae esse jubeat! P. P.
Witt. Domin. Miser. Domini, Sub sigillo Fac. Theol.
A. G. N. clb Ibc XXCI.*

Ung. VI 58 (11)

ULB Halle

3

002 686 287



5b,

VD17
Sep. 2000 Pd.







30

I. N. 7.


ABRAHAM CALOVIUS,

SS. THEOL. P. PRIMARIUS,
PASTOR, CONSISTORII ADSESSOR
SENIOR, ET SUPERINTEND. GENERALIS,
p. t. FACULTATIS THEOLOGICÆ
DECANUS,

L. B.

SALUTEM PL. PRECATUR
IN JESU REDIVIVO, PASTORE
ANIMARUM NOSTRARUM
GRATIOSISSMO,

ANNO G. N. cl^o l^oc XXCI.



WITTENBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

